

Æqualitas hæc est, quod in remotis à terra ad medias distantias proximè acceditur: in vicinis Marte & Venere, motoria distantia vtrinque vicinior est terræ, quàm Copernicana media.

Vides etiam nusquam, nec excludi loco suo corpus, neque ordinem turbari, sed ad minimum, hiatus tantum inter medias distantias patère, qui corpus recipiat. Vt si quis maximè motorias hæc pro optimè demonstratis acceptare velit (quo de dubitatur tamen) is modum fortassis interpositionis corporum tollat, interpositionem ipsam non tollat. Ferè enim indicant motoria, quasi duo exteriora similia similiter inter medias interfint, duo interiora similia inter mediam & extremam, nempe dodecaedron ab ima Martis ad mediam Terræ, Icosaedron à media Terræ ad summam Veneris. Tetraedron verò etiam suis fruatur priuilegijs, atque inter vtramque extremam interfit. Verùm hæc omnia suo loco censeantur, nempe ex incertis extructa numeris motoriarum, nec in alium finem, quàm vt extimulentur alij ad conciliationem: ad quam viam præiui.

## CAPVT XXII.

*Planeta cur super æquantis centro æqualiter moueatur.*

**D**IDICISTI modò, Lector, etiam imperfecta cognoscere, quo minus metuo, te vltimam hanc & frigidam catastrophem explosurum. Vltimò autem referre volui, cum quia vltimo loco habeo: tum quia cum motibus cohæret, nec expediri sine X X. capite potest, quamuis ad XIII. propriè pertineat, vt ibi monitus es.

Cum hanc figuralem cælorum proportionem Mæstlini censuræ subiecissem: is me de superiorum epicyclijs monuit, quos Copernicus loco æquantium introduxit, qui quæ duplo maiorem efficiant orbi spissitudinem, quàm Planetæ ascensus descensusque requirit. Et in inferioribus quidem alij motus sunt, quibus Planeta ad omnem illius epicycli altitudinem euehitur, ad omnem eius humilitatem descendit, vnde in illis pro eccentrepicyclo eccentricus centri à Copernico assumptus est: in Mercurio verò peculiaris quædam diameter, per quam accedit & recedit à Sole. Similiter

*Vide Tabulam. IIII. cap. XIII.*